

dam. Sed in omni sacramento requiritur aliquod sensibile signum. Ergo & in matrimonio; & ita oportet ibi saltem esse verba exprimentia consensum sensibilibiter.

Præterea. In matrimonio fit contractus inter virum & mulierem. Sed in quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus se mutuo homines obligent. Ergo in matrimonio oportet esse consensum per verba expressum.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod consensus expressus per verba de futuro, matrimonium faciat. Quia sicut se habet præsens ad præsens, ita futurum ad futurum. Sed consensus per verba de præsentibus expressus facit matrimonium in præsentibus. Ergo consensus expressus per verba de futuro facit matrimonium in futuro.

2. Præterea. Sicut in matrimonio fit quædam obligatio per verba exprimentia consensum, ita & in aliis civilibus contractibus. Sed in aliis contractibus non differt utrum per verba de præsentibus, vel de futuro obligatio fiat. Ergo nec in matrimonio differt.

3. Præterea. Per votum religionis homo contrahit matrimonium spirituale cum Deo. Sed votum religionis fit per verba de futuro, & obligat. Ergo similiter potest fieri matrimonium per verba de futuro.

Sed contra est, quia ille qui consentit in aliquam per verba de futuro, & postea cum alia per verba de præsentibus, debet secundum iura habere secundam pro uxore. Sed hoc non esset, si consensus per verba de futuro faceret matrimonium: quia ex quo verum est matrimonium cum una, ea vivente non potest contrahi cum alia. Ergo consensus per verba de futuro non facit matrimonium.

Præterea. Qui promittit se aliquid tractaturum, nondum facit illud. Sed qui consentit per verba de futuro, promittit se cum aliqua tractaturum matrimonium. Ergo non contrahit adhuc cum illa.

### QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod consensus expressio per verba, etiam si desit interior consensus, facit matrimonium. Quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, secundum iura. Sed ille qui verbis consensum exprimit quem corde non habet, dolum committit. Ergo non debet sibi patrocinari, ut ab obligatione matrimonii liber reddatur.

2. Præterea. Assensus mentalis alterius non potest esse alicui notus, nisi quatenus per verba exprimitur. Si ergo expressio verborum non sufficit, sed consensus interior requiritur in utroque conjugum, tunc neuter poterit scire de altero, an sit ei verus conjugus; & ita erit fornicator quodcumque matrimonio utetur.

3. Præterea. Si aliquis probatur per verba de præsentibus in aliquam consensisse, cogitur per excommunicationis sententiam ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse; etiamsi postea cum alia contraxerit consensu mentali verbis expresso. Sed hoc non esset, si requireretur consensus mentalis ad matrimonium. Ergo non requiritur.

Sed contra est quod Innocentius III. dicit in Decreto. (extra de sponsal. & matrim. cap. *Tua nos in fine*) in isto casu loquens: *Sine consensu nequeunt cetera fœdus perficere conjugale.*

Præterea. Intentio requiritur in omnibus sacramentis. Sed ille qui corde non consentit, non habet in-

tionem matrimonium contrahendi. Ergo non fit matrimonium.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod in omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio mediante materiali operatione quæ eam significat; sicut per ablutionem corporalem in baptismo fit ablutio interior spiritualis: unde cum in matrimonio sit quædam spiritualis conjunctio, in quantum matrimonium est sacramentum; & aliqua materialis, secundum quod est in officium naturæ, & civilis vitæ; oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina: unde cum conjunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis conjunctio.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentorum prima causa est divina virtus quæ in eis operatur salutem; sed causæ secundæ instrumentales sunt materiales operationes ex divina institutione efficaciam habentes; & sic consensus in matrimonio est causa.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non est ipse consensus, sed quædam unio ordinatum ad invicem, ut dictum est, quam consensus facit: nec consensus, proprie loquendo, conjunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem ejus qua factum est ut Ecclesiæ conjungeretur.

Ad tertium dicendum, quod sicut matrimonium est unum ex parte ejus in quod fit conjunctio, quamvis sit multiplex ex parte conjungentium; ita etiam consensus est unus ex parte ejus in quod consentitur, scilicet prædictæ conjunctionis, quamvis sit multiplex ex parte consentientium: nec est directe consensus in virum, sed in conjunctionem ad virum ex parte uxoris, & similiter ex parte viri consensus in conjunctionem ad uxorem.

### SOLUTIO II.

Ad secundam questionem, dicendum, quod, sicut ex dictis patet, conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt, ideo etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimat, ut expressio verborum se habeat ad matrimonium sicut ablutio exterior ad baptismum.

Ad primum ergo dicendum, quod in voto non est aliqua sacramentalis obligatio, sed spiritualis tantum: & ideo non oportet quod fiat ad modum materialium contractuum ad hoc quod obliget, sicut est de matrimonio.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non possint vota sua mutuo verbis tales exprimere, possunt tamen exprimere nutibus; & tales nutus pro verbis computantur.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Hugo de Sancto Vict. (ubi supra) eos qui junguntur, sic oportet consentire ut invicem se spontanee recipiant; quod judicatur fieri, si in desponsatione non contradicant: unde verba parentum computantur in casu illo ac si essent puellæ: sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus ex quo non contradicunt.

### SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod causæ

sacramentales significando efficiunt, unde efficiunt quod significant: & quia cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum; ideo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed dispositionem ejus, quæ sponsalia nominantur.

Ad primum ergo dicendum, quod consensus exprimitur per verba de præsentibus, & verba sunt præsentia, & in præsentibus consentitur pro eodem tempore. Sed quando consensus fit per verba de futuro, verba sunt præsentia, sed consentitur in futurum; & ideo non pro eodem tempore: & propter hoc non est simile.

Ad secundum dicendum, quod etiam in aliis contractibus qui verbis futuris utitur, non transfert potestatem rei suæ in alterum, ut si dicat: Dabo tibi; sed solum quando verbis præsentibus utitur.

Ad tertium dicendum, quod in voto professionis actus spiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur, scilicet obedientia, vel observantia regulæ, & non ipsum matrimonium spirituale. Si autem matrimonium spirituale in futuro voveatur, non est votum spirituale: quia nondum ex hoc aliquis est monachus; sed se futurum monachum pollicetur.

### SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut dictum est. Unde sicut si aliquis ablutionem exterioriorem reciperet non intendens accipere sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.

Ad primum ergo dicendum, quod ibi sunt duo, scilicet defectus consensus, qui sibi patrocinatur in foro conscientie, ut non astringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Ecclesiæ, in quo judicatur secundum allegata; & dolum verborum, & hic non patrocinatur nec in foro poenitentiae, nec in foro Ecclesiæ, quia in utroque pro hoc punitur.

Ad secundum dicendum, quod si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua conjunctione, ut dictum est. Tamen probabiliter potest credi dolum non esse, nisi signa evidentiæ doli appareant: quia de quolibet est præsumendum bonum, nisi probetur contrarium: unde ille ex cuius parte dolum non est, à peccato excusatur per ignorantiam.

Ad tertium dicendum, quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore, quia judicat secundum ea quæ foris apparent; nec decipitur in iustitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedere; vel debet in alias regiones remotas fugere.

### ARTICULUS III.

*Utrum alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit altero invito ad religionem transire.*

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit altero invito ad religionem transire. Quia lex divina magis debet spiritualibus favere quam humana. Sed lex humana hoc permisit. Ergo multo fortius lex divina permittere debuit.

2. Præterea. Minus bonum non impedit majus bonum. Sed matrimonii status est minus bonum, quam status religionis, ut patet I. Corinth. vii. Ergo per matrimonium non debet homo impediri quin possit ad religionem transire.

3. Præterea. In qualibet religione fit quoddam spirituale matrimonium. Sed licet de leviori religione ad arctiorem transire. Ergo & licet de matrimonio leviori, scilicet carnali, ad arctius, scilicet matrimonium religionis, transire, etiam invita uxore.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. vii. ut nec etiam ad tempus vacent orationi conjuges sine mutuo consensu à matrimonio abstinentes.

Præterea. Nullus potest facere licite quod est in præjudicium alterius sine ejus voluntate. Sed votum religionis emissum ab uno conjugum est in præjudicium alterius: quia unus habet potestatem corporis alterius. Ergo unus sine consensu alterius non potest votum religionis emitte.

### QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod nec etiam ante carnalem copulam. Indivisibilitas enim matrimonii pertinet ad matrimonii sacramentum, in quantum scilicet significat perpetuam conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Sed ante carnalem copulam post consensum per verba de præsentibus expressum, est verum matrimonii sacramentum. Ergo non potest fieri divisio per hoc quod alter ad religionem intrat.

2. Præterea. In ipso consensu per verba de præsentibus expresso unus conjugum in alterum potestatem sui corporis transfert. Ergo statim potest exigere debitum, & alter tenetur reddere; & ita nec potest unus invito altero ad religionem transire.

3. Præterea. Math. xxi. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed conjunctio quæ est ante carnalem copulam, divinitus facta est. Ergo non potest separari humana voluntate.

Sed contra est quod secundum Hieronymum (alium Auctorem nec in prologo super Joannem) Dominus Joannem vocavit de nuptiis.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod mulier non possit nubere alteri, viro ante carnalem copulam religionem ingressa. Quia illud quod cum matrimonio stare potest, non solvit matrimoniale vinculum. Sed adhuc manet matrimoniale vinculum inter eos qui pari voto religionem intrant. Ergo ex hoc quod unus intrat religionem, alter non absolvitur à vinculo matrimoniali. Sed quamdiu manet vinculum matrimoniale ad unum, non potest nubere alteri. Ergo &c.

2. Præterea. Vir post ingressum religionis potest ante professionem redire ad sæculum. Si ergo mulier posset alteri nubere, viro intrante religionem, & ipse posset aliam ducere rediens ad sæculum: quod est absurdum.

3. Præterea. Per Decretalem novam (Lib. VI. tit. *De Regularibus*, cap. *Non solum*) professio ante annum emissam pro nulla reputatur. Ergo si post talem professionem ad uxorem redeat, tenetur eum recipere: ergo neque per introitum viri in religionem, neque per votum datur mulieri potestas nubendi alteri: alias una mulier haberet duos viros.

Sed contra. Nullus potest alterum obligare ad ea quæ sunt perfectionis. Sed continentia est de his quæ ad perfectionem pertinent. Ergo mulier non arctatur ad con-

continentiam ex hoc quod vir ad religionem ingreditur; & sic potest nubere.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod nullus potest facere (1) oblationem Deo de alieno: unde cum per matrimonium consummatum jam sit corpus viri factum uxoris, non potest absque consensu ipsius Deo ipsum offerre per continentiam votum.

Ad primum ergo dicendum, quod lex humana considerabat matrimonium solum in quantum est in officium; sed lex divina secundum quod est sacramentum, ex quo habet omnimodam indivisibilitatem; & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod non est inconveniens majus bonum impediri per minus bonum quod habet contrarietatem ad ipsum, sicut etiam bonum per malum impeditur.

Ad tertium dicendum, quod in qualibet religione contrahitur matrimonium ad unam personam, scilicet Christum, cui quantum ad plura obligatur aliquis in una religione quam in alia; sed matrimonium materiale, & religionis non fiunt ad unam personam; & ideo non est simile.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod ante carnalem copulam est inter conjuges tantum spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale: & ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis ante carnalem copulam solvitur: quia religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens, vivit Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium ante carnalem copulam significat illam conjunctionem quæ est Christi ad animam per gratiam, quæ quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, scilicet peccatum; sed per carnalem copulam significat conjunctionem ad Ecclesiam quantum ad assumptionem humanæ naturæ in unitatem personæ, quæ omnino est indivisibilis.

Ad secundum dicendum, quod ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione, si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convollet; sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis: unde etiam ante carnalem copulam non statim tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsentibus, sed datur ei tempus duorum mensium propter tria. Primo ut interim possit deliberare de transeundo ad religionem. Secundo ut præparentur quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertio ne vilem habeat meritum datam quam non suspiravit dilatare.

Ad tertium dicendum, quod conjunctio matrimonialis ante carnalem copulam est quid imperfectum quantum ad esse primum, ut supra dictum est, sed non consummata quantum ad actum secundum, qui est operatio: & similatur possessioni corporali, & ideo nec omnimodam indivisibilitatem habet.

(1) In editis obligationem.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale solvit ut mulier nubat cui vult, secundum Apostoli sententiam; ita etiam post mortem spirituales viri per religionis ingressum poterit cui voluerit, nubere.

Ad primum ergo dicendum, quod quando uterque pari voto continentiam voverit, tunc neuter conjugali vinculo abrenuntiat, & ideo adhuc manet; sed quando unus tantum voverit, tunc, quantum est in se, abrenuntiat vinculo conjugali; & ideo alter absolvitur à vinculo illo.

Ad secundum dicendum, quod non intelligitur mortuus sæculo per religionis ingressum, quousque professionem emisit; & ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua expectare.

Ad tertium dicendum, quod de professione sic emissa ante tempus determinatum à jure, est idem iudicium quod de voto simplici: unde sicut post votum simplex viri mulier ei reddere debitum non tenetur, tamen ipsa non haberet potestatem alteri nubere; ita & hic.

## QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de sponsalibus: & circa hoc quærentur tria.

Primo. Quid sint sponsalia.

Secundo. Qui possunt sponsalia contrahere.

Tertio. Utrum sponsalia dirimi possint.

## ARTICULUS I.

Utrum sponsalia convenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod sponsalia non convenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio, ut habetur ex verbis Nicolai Papæ (I. in Decr. causa xxx. quæst. v. cap. *Nostrates*.) Quia, sicut dicit Isidorus (Lib. IX. etym. cap. VII.) est aliquis sponsus, non quia promittit, sed quia spondet, & sponsos dat. Sed à sponsalibus dicitur aliquis sponsus. Ergo male dicitur promissio.

2. Præterea. Quicumque promittit aliquid, debet compelli ad solvendum. Sed illi qui sponsalia contrahunt, non compelluntur per Ecclesiam ad matrimonium contrahendum. Ergo sponsalia non sunt promissio.

3. Præterea. In sponsalibus non est quandoque sola promissio, sed additur juramentum, & aliquæ arrhæ. Ergo videtur quod non debuerint solum per promissionem diffiniri.

4. Præterea. Matrimonia debent esse libera, & absoluta. Sed sponsalia quandoque fiunt sub conditione etiam accipiendæ pecuniæ. Ergo non convenienter dicuntur promissio nuptiarum.

5. Præterea. Promissio quæ est de rebus futuris, vituperatur Jacob IV. Sed circa sacramentum non debet aliquid esse vituperabile. Ergo nec debet fieri promissio futurarum nuptiarum.

6. Præterea. Nullus dicitur sponsus nisi à sponsalibus. Sed aliquis dicitur sponsus ex præsentibus nup-

nuptiis, ut in littera dicitur. Ergo sponsalia non semper sunt futurarum nuptiarum promissio.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, consensus in conjugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem: & hæc promissio dicitur sponsalia à spondendo, ut Isidorus dicit, ubi supra. Nam ante usum tabularum matrimonii cautiones dabant, quibus spondebant se invicem consentire (1) in jura matrimonii, & fidejussores dabant. Fit autem ista promissio dupliciter, scilicet absolute, & sub conditione. Absolute quatuor modis. Primo nuda promissione, ut cum dicitur, Accipiam te in meam; & est contrario. Secundo datis arrhis sponsalitiis, ut pecunia, vel hujusmodi. Tertio annuli subarrhatione. Quarto interveniente juramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est: quia aut est conditio honesta, ut cum dicitur, Accipiam te, si parentibus placet; & tunc stante conditione stat promissio, & non stante non stat: aut est inhonesta, & hoc dupliciter; quia aut est contraria bonis matrimonii, ut si dicam, Accipiam te, si venena sterilitatis proctures; & tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam, Accipiam te, si furtis meis consentias; & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

Ad primum ergo dicendum, quod ipsa sponsalia, & sponsorum datio est promissionis confirmatio: & ideo (2) ab hoc denominatur quasi à perfectiori.

Ad secundum dicendum, quod ex tali promissione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat: & secundum hoc etiam Ecclesia cogit injungendo poenitentiam pro peccato. Tamen in foro contentioso non compellitur: quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere: nisi forte juramentum intervenerit: quia tunc cogendus est, ut quidam dicunt; quamvis aliis non videatur propter causam prædictam; præcipue si de uxoricidio timeretur.

Ad tertium dicendum, quod illa addita non sunt nisi ad confirmandam promissionem: unde non sunt aliud quam promissio.

Ad quartum dicendum quod conditio illa quæ opponitur, non tollit matrimonii libertatem: quia si est inhonesta, debet abjici; si autem honesta, aut de bonis simpliciter, ut si dicatur, Accipiam te, si placeat parentibus; & hæc conditio non tollit libertatem sponsalium, sed auget ei honestatem: aut est de utilibus, ut si dicatur, Contraham tecum, si dabis mihi centum; & tunc hoc non ponitur quasi ad vendendum consensum matrimonii, sed intelligitur ut promissio dotis: unde matrimonium libertatem non perdit. Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum poenæ; & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat, nec potest exigi poena illa ab eo qui non vult matrimonium complere.

Ad quintum dicendum, quod Jacobus non intendit prohibere quod omnino aliquis nullam promissionem de futuris faciat, sed quod (3) non promittat quasi fiduciam habens de vita sua: unde docet quod debet apponi conditio, Si Deus voluerit; quæ etiam si verbis non exprimitur, corde debet intelligi.

(1) Al. in jure matrimoniali. (2) Al. ad hoc determinatur. (3) Al. promiserat.

Ad sextum dicendum, quod in matrimonio potest considerari ipsa conjunctio matrimonialis, & actus ejus: & à sponsione primi in futurum dicitur sponsus à sponsalibus contractis per verba de futuro; & à sponsione secundi dicitur aliquis sponsus etiam quando contractum est matrimonium per verba de præsentibus, quia ex hoc ipso spondet matrimonii actum. Tamen à prima sponsione dicuntur sponsalia proprie, quæ sunt quædam sacramentalia matrimonii, sicut exorcismus baptismi.

## ARTICULUS II.

Utrum tempus septennium sit competenter assignatum sponsalibus contrahendis.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod tempus septennium non sit competenter assignatum sponsalibus contrahendis. Contractus enim qui per alios fieri potest, non requirit discretionem in illis ad quos pertinet. Sed sponsalia fieri possunt per parentes utroque illorum ignorante quorum sunt sponsalia. Ergo ita possunt fieri ante septennium, sicut post.

2. Præterea. Sicut ad contractum sponsalium requiritur aliquis rationis usus, ita ad consentiendum in peccatum mortale. Sed sicut Gregorius narrat in IV. Dialog. cap. XVIII. quidam puer propter peccatum blasphemiam à diabolo extinctus est. Ergo etiam ante septennium possunt sponsalia contrahi.

3. Præterea. Sponsalia ad matrimonium ordinantur. Sed in matrimonio non assignatur unum tempus puellæ, & puero. Ergo nec in sponsalibus septennium utrique assignari debet.

4. Præterea. Ex tunc aliqui possunt sponsalia contrahere ex quo eis possunt futuræ nuptiæ placere. Sed signa talis placentiæ frequenter apparent in pueris ante septem annos. Ergo ante possunt contrahi sponsalia.

5. Præterea. Si aliqui ante septem annos contrahunt sponsalia, & postea post septennium ante tempus pubertatis contrahunt per verba de præsentibus, reputantur inter eos esse sponsalia. Sed hoc non est ex secundo contractu quia tunc non intendunt sponsalia, sed matrimonium contrahere. Ergo ex primo; & hinc ante septennium possunt sponsalia contrahi.

6. Præterea. In his quæ communiter fiunt à pluribus, quod deest uni, suppletur ab altero, sicut patet in trahentibus navem. Sed contractus sponsalium est quædam communis actio inter contrahentes. Ergo si unus sit pubes, potest contrahere cum puella quæ non habet septem annos, sponsalia: quia quod uni deficit de tempore, alteri superabundat.

7. Præterea. Si aliqui juxta ætatem pubertatis, quamvis ante eam, contrahant per verba de præsentibus, reputantur inter eos matrimonium esse. Ergo pari ratione si ante septennium, dummodo sint propinqui, contrahant per verba de futuro, reputabuntur inter eos esse sponsalia.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod septennium est tempus determinatum à jure sponsalibus contrahendis satis rationabiliter: quia cum sponsalia sint quædam promissio futurorum, ut dictum est, oportet quod illorum sint qui aliquo modo promittere possunt, quod non